# SALVTATIO
## *Serenißimi ac Inuictißimi Domini, Domini*
# VLADISLAI IV.
## Poloniæ & Sueciæ Regis;
### *Electi Magni Ducis Moschouiæ, &c. &c.*

FElicitatem, quam Ecclesia Dei, Collegiumq; nostrum, continuis votis flagitabat; Respubl: & omnes Ciues, animis & constantibus calculis, certatim ambiebant; vniuersi præterea Principes Christiani (excepto nemine) & augurabantur & optabant; vt Te Sereniss: VLADISLAE, in Solio Maiestatis constitutum, Regem nostrum, id est, Dominum simulq; Parentem vnanimiter consalutaremus: istam inquam felicitatem, non tam tibi quàm nobis, adeoq; Ecclesiæ Sanctæ Dei, ac Reipubl: necnon Collegio nostro, vehementer, & ex animo gratulari debemus.

Atque id quidem iure meritissimo.

Quantum enim, quamúe præſtans, ac Diuinum Regnorum, & Eccleſiæ Dei bonum ſit, bonus ac laudabilis Princeps: aliæ gentes fortaſſe carendo intelligunt; nobis eſt neceſſe, vt fruendo, & felicitatem noſtram diuinitus conceſſam agnoſcamus, & iſto nomine Deum Opt: Max: Sanctoſque Patronos, Regni tutelares, impensè veneremur.

Ac Tu quidem Sereniſſ: VLADISLAE, in hoc tantum Regni faſtigium, non per otium, aut aliqua fortunæ blandimenta; ſed per labores formidoloſos, & ingentia merita, veluti per gradus aſcendiſti; priuſq; Reipubl: vitam & ſalutem, quàm illa tibi Regnum, contuliſti.

Vt enim tuas alibi exantlatas curas, & digna immortalitate laborum tuorum monimenta, hoc tempore miſſa faciam: Tu certè, Dei Diuorumq; auſpicijs, Ottomanicam ſeruitutem, à ceruicibus noſtris depuliſti; Tu Sanctas ac venerabiles iſtas aras, nomenque Dei noſtri, à nefandis abominationibus pollui, & contaminari vetuiſti. Orbis itaque terrarum teſtimonio, ac omnium totius Chriſtianitatis Principum conſenſu, Pater Patriæ priùs extitiſti, quàm in Solio Maieſtatis conſediſti.

Sed

Sed præter Tuorum meritorum amplitudinem, quæ & quanta virtutum Tuarum excelsarũ, ac Regiarum concordia, quàm suauis, diuinusque concentus, & harmonia ? Maiestas non affectata cum ingenita benignitate, Magnanimitas cum animi moderatione, Liberalitas admiranda cum virtutum approbatione, Clementia cum Reuerẽtiæ significatione, Summa prudentia cum niuea & aperta mente, atque cum illo incomparabili animi candore. Quæ singulæ tantarum virtutum combinationes, singulas easque prolixas Orationes, & Encomia, si quis persequi vellet, deposcerẽt.

Iam illa Rege maximo digna, ingenij magnitudo, quàm inusitata & incredibilis ? Omnia perspicere, vt nihil sensum tuũ fugiat; Ex adiunctis, prudẽti cõiecturâ, subitò rem euidenter colligere; ex anteactis quæ ventura sunt, planè secundũ euẽtũ, in rebus maximè arduis concludere; subita & nihil meditata, quasi multùm ac diu limata promere, & effunderẽ. Hæc Tua sunt VLADISLAE Serenissime, quæ si quis diligenter apud animum suum expendat; cogitabit illud, quod olim Philippus, in re longè minoris momenti, ad suum Ma-

gnum Alexandrum: Orbis Imperio non angustâ Macedoniâ, tanto ac tam diuino animo, opus esse.

Accedit omnium virtutum ac omnis veræ ac solidæ gloriæ basis & fundamentum, Pietas, & auitæ religionis Zelus, ac studium; in quo Tu Serenissime tantũ excellis; quantũ ab omni externa specie, & coloribus vanitatum alienus; Regẽ, Regnumque, absque vera & viua pietate, stare nullo modo posse, certo certiùs existimas. Et verè: Vt enim sine influxu cæli, nullæ fruges: ita sine Deo atque Cælo, vanæ ac inanes hominum Regumque cogitationes. Tolle de Regno pietatem! Iam fides, iam vincula generis humani, iam eminentissima virtus Iustitia tollatur, omnisque rerum ac hominum confusio inducatur, necesse est. Idcirco etiam, quanto Regum quisque tuendæ religionis studiosior; tanto maior, tanto augustior, tanto ad omnem posteritatem sui nominis immortalitate, gloriæque nunquam desituro splendore, commendatior extitit. Atque vt nubes quæ cælum obscurant, citò transeunt; & fulguribus ac breui coruscatione interdum editâ, in fumum vertuntur: ita Principes illi, qui verita-

tem de

tem de Cælo euocatam, aut inumbrare, aut opprimere aggressi sunt; licet plurimùm in colligenda fama sudâssent; attamen eodem momento gloriam omnem, quo & ipsam vitam, exuerunt.

Quamobrẽ perge age Sereniss. VLADISLAE, & summarum virtutum Regiarum amplissimos ordines explicans, inde telam omnem, ab ipso capite exordire; ac primùm istum lapidem angularem, obfirmatum & stabilem pone; vt Religionẽ auitam, non modo sartam tectamque conserues, verùm etiam eius dignitatem augeas, & amplifices. Fallũtur enim & in graui, ac pernicioso errore versantur ij, qui ad Principes Prouinciam tuendæ religionis pertinere haudquaquam arbitrantur; cùm ipsa veritas altissima, REGES, Ecclesiæ suæ Nutritios, id est, beneficos altores, & propagatores, nuncupari, & esse velit. Quemadmodum enim Cor in humano corpore (quod Principis officium repræsentat) sensuum omnium & intellectus arcem, Caput videlicet, Spiritibus tenerrimis, à se mirabili artificio elaboratis recreat: aut quemadmodum Sol, tametsi inferior existit, attamen firmamenti stellas illuminat: pari

ac gemi-

ac gemina ratione, bonus & laudabilis Princeps, Religionem animare, illiq; lumen ac splendorem afferre; inter primas suæ Maiestatis partes, omnino habere debet.

Floruit hac summa laude, (vt recentissima, & spirantia Tuæ peraugustæ Domus Regalis, exẽpla non attingam) IAGELLO VLADISLAVS, cuius nomen gloriâ præpotens, non sine felici omine præfers, Atauus Tuus gloriosissimus: qui (mirabile dictu) & ipse Apostoli munere, in informandis ad religionem suis populis, functus est; & à Bohemis Regnum sibi oblatum, eò quòd in Hussitana hæresi deponenda pertinaciores essent; nullo modo acceptare voluit.

Atque duabus columnis, hic Tuus Diuus Atauus, Rex ad omnem posteritatem longè celebratissimus, Regnum suum, suamq; famam constabilire voluit; Ecclesiâ & Academiâ: ratus id quod omnino certissimum est, absque pietate & Sapientiâ, nullum Imperium, nullam Nominis Maiestatem efflorescere posse.

Hæc atque similia Regum & Regnorum ornamenta, Serenissime VLADISLAE, Tui Regni pri-

gni prima principia, hæc Tuæ Dominationis fun-
damenta, imò firmamenta sunto. Ab his felici-
ter exorsus, ibis in expeditiones, ibis in prælia, ibis
in confertissimas hostium acies; & vbique prospe-
ritatem, victoriam, & nominis gloriam, cum ipsa
æternitate duraturam, felix & fortunatus metes.

Nec dubitas (quæ Tua prudentia est) præstò
adesse, quæ suum VLADISLAVM, vt olim
certæ Prouinciæ fatalem sibi Scipionem, etiam at-
que etiam deposcunt. Præstò est LIVONIA
fraude ac dolo intercepta, virtute & felicitate tua
vindicanda. Præstò PRVSSIA, quam VLADI-
SLAVS victor, VLADISLAO vindici, Atauus
Atnepoti commendat. Præstò fallax & nun-
quam à Te susceptis, in ea, immensis laboribus di-
gna MOSCHOVIA; quæ suâ olim deditione, nũc
astrorum periodo, & flagitio rupti fœderis; non-
nisi Tibi, Tuæque inuictæ virtuti, vel inuita incur-
uabitur. Gliscunt & alibi, cineribus dolosis
consopitæ flammæ, quæ ne in aliquod incendium
erumpant, Patriamque nostram corripiant; diui-
nâ VLADISLAI prouidentiâ opus est.

Nec tantum foris, sed etiam domi, & in vi-

ſceribus Patriæ permulta ſunt, quorum alia tibi tranquillanda, alia dedolanda, alia pro ſuis cuiuſq; iuribus & priuilegijs contra omnem violentiam firmanda, pleraque in ordinem & orbitam reuocanda; ad extremum vt Regem Te, id eſt, Numen beneficum & ſalutare omnibus exhibeas; meritorum tuorum ſeminaria, in omne genus hominum effundenda ſunt.

Sic fiet, vt quod vniuerſi, & ſinguli augurabamur; & eâ de causâ (quod miraculo proximum eſt) incredibili conſenſione, omnes, vnum ex omnibus, tam libenter quàm fortiter, ſine vlla cuiuſquam interceſſione, in tanta hominum & ordinum varietate, Te Regem noſtrum decernebamus: vt inquam, Amor Ciuium, Deliciæ gentis, Gloria & nunquam intermoriturum decus Poloniæ; denique in dies, magis ac magis (quemadmodum iam planè eſſe cepiſti) PATER PATRIAE dici, haberique pergas.

Quod vt Maieſtati Tuæ felix, fauſtum, fortunatumque ſit; Capitulum noſtrum Venerabile, atque adeò vniuerſus totius Diœceſis Cracouienſis Clerus, effuſis votis & animis ardentibus

vnicè

vnicè apprecatur. Cuius quidem Capituli, atque simul vniuersi Ordinis Ecclesiastici, qui Regno huic inclyto in rebus Diuinis omne officium præstat; Iura, prærogatiuæ, immunitates, ac Priuilegia; Diuorum Regum, ac Principum Poloniæ, pietate aucta & amplificata; Maiestatis verò ac Reipublicæ authoritate firmata & stabilita: vt sub tutela & patrocinio Regio, diuinitus Tibi demandato, non modò tutò ac securè, illibata ac inuiolata conquiescant; verùm etiam vt incrementa felicesque progressiones magis ac magis capiant: eo nomine Maiestatem Tuam obnixè, vehementer, & submisè; compellamus, exoramus, ac obtestamur.

Nos verò inde, singuli & vniuersi, Deum Opt: Max: Conditorem & Seruatorem huius Regni, publica voce exorabimus; atque ab eius cælesti Maiestate, ad Sacrosanctas aras, illud Supplicationibus assiduis efflagitabimus; vt Te Solem & Animam huius Reipubl: Ecclesiæque Sanctæ, his potissimum perturbatis temporibus, columnam; quàm diutissimè, saluum & incolumem, omnique prosperitate affluẽtem, Regno huic am-

plissimo & vniuersis Christianis gentibus conseruet: vt cùm Diuos Maiores Tuos, Prudentiâ, Iustitiâ, Fortitudine, Clementiâ, victorijs, ac triumphis antecelles; Serenissimum Patrem Tuum, ac Proauum SIGISMVNDOS, necnon Diuum IAGELLONEM Atauum Tuum; annis Imperij Regnique Tui, si non superare, saltem adæquare possis.

VObis etiam Serenissimi PRINCIPES, non possumus, non magnoperè gratulari; in quos præsens lætitia redundat vel maximè: qui in hoc iustissimo luctu, ex amisso vtroque pientissimo Parente; coniunctione & sanguine Fratrem, beneficio & beneuolentiâ verè Parentem, Regem optimum, vnà nobiscum, Diuinâ prouidentiâ nacti estis. Agite nobilissima Regalis Sanguinis decora: Crescite in Regna, & Imperia, supremosque & eminentissimos in Ecclesia Dei honores; ac digna vobis, digna æmulatione Regis optimi, digna Maioribus vestris, exantlando facinora; excelsa vota, & animorum Vestrorum desideria, felicibus auspicijs perficite.

Tuæ

TVæ ad extremum Serenitati Sereniſſima INFANS, in hac Tua mæſtiſſima orbitate, atque in hoc tenerrimo virgineo flore, ſine Patre, ſine Matre, Dei arbitratu & voluntate conſtitutæ; quid aliud iſto die, vniuerſo Regno ſolenni, apprecer: niſi, vt Regem optimum Parentis vtriuſque loco habens, præſtoleris promiſſiones, ac benedictiones Dei ex alto.

REGVM REGI continuis votis, ad Sanctiſſimas aras ſupplicabimus, vt ipſe Dominus Dominantium, in hac Tuâ ſolitudine virginali, multiplicet curam ſuam ſuper Te; tribuat Tibi Angelum prouidentiæ ſuæ cæleſtis, vt Regibus Atauis progenita, & ipſa Nouella Regalis Oliuæ, conſociata Regali thoro, fias demum

OLIVA REGVM.

DIXI.

CRACOVIÆ,
*In Officina Andreæ Petricouij, S.R.M. Typogr.*
*Anno Domini, M. DC. XXVIII*